

LVNÆ DIE 18 M. OCTOBRIS A. 2010

A.d. XV Kal. Novembres a. MMX

158

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



## DE ITINERE TVNETANO (18-25 IX 2010)

- narrat Francisca Deraedt -

Si quis Melissæ itinera iam participavit, scit nonnulla S vocabula in Gai lexico non exstare : « pausa, quies, otium »... Itaque Tunesia vix attacta, accepta in deversorio potione saluatoria, depositis in cubiculo sarcinis, etsi omnes participes, novem numero, satis erant defessi, etsi Inga iam hora tertia matutina sedebat in tramine ferroviario, etsi Victorius, ex ima Italia advectus, nulla fructus erat nocte, tamen statim aliquid superadditum est itineris programmati ac rædam inscendimus vicum *Sidi Bou Saïd* invisuri, in quo olim multi scriptores et artifices libenter versari solebant : Chateaubriand, Lamartine, Flaubert, Gide, Colette, Simone de Beauvoir, alii permulti. Et verum est locum esse amœnum, quamquam nunc a periegetis magis invasum quam ab altioribus ingeniis. Ibi visu digna est pulchra domus privata, adhuc partim habitata, partim in museum conversa, ubi ostenduntur Tunetorum pristini mores vivendi.



Domus 'Dar Annabi', museum traditæ vitæ Tunetanæ.

*Dominico die.*

Carthago ! Dido, eius infelix amor, Baal, cui dicebantur immolari pueri, Hannibal Romanorum terror, Salammbô Gustavi Flaubert herois, opus necessario legendum, aiebat magister noster litterarum, antequam ex hac vita discedamus ! Carthago, quot excitavisti somnia !

Dicebatur esse delenda, quod, ut patet, diligenter curatum est. In colle *Byrsa*, prima arce Punica, nihil superest de antiquis ædificiis. Loco templi Concordiæ, a Francogallis sæculo undevicesimo exstructa est ecclesia cathedralis dicata sancto Ludovico, qui ibi morbo periit inter octavam expeditionem cruciatam. Hæc autem ecclesia non iam est consecrata.

Hodie Carthaginis area amplissima, elegantibus domibus divitum Tunetanorum intermixta, non lustra-

tur tota pedibus, sed per partes, ad quas ræda nos ducit. Inter parietinas ita creverunt palmæ, fici, cydoniæ et bougainvilleæ, ut quamvis caleatur amœna fiat ambulatio.



Carthaginis portus bellicus, cuius forma erat circuli ; in recessu : ecclesia sancti Ludovici.

Ad litus maris, ubi olim Dido, sicuti hodie ego, longe prospexit, credere nolens Æneam in perpetuum esse profectum, magnifice sitæ sunt thermæ Antonini. Dulcis ventulus flat e mari. Armati milites, qui non thermas custodiunt, sed proximam domum præsidis Ben Ali, satis clamose impediunt ne totum circumeamus locum. Pergimus ergo ad theatrum (secundo sæculo exstructum), valde restauratum, in quo singulis æstatibus fit festum et musicum et theatrale.

Videmus etiam ecclesiam sancti Cypriani necnon ingentes cisternas, quibus colligebatur aqua ab aquæ-



Carthago : ambulatio ad Thermas Antonini.

ductu allata. Quem aquæductum mystagogus dicit adhuc partim esse in usu nonnullosque alere vicos.

In medio amphitheatro, valde delecto, parvum oratorium anno 1903 instructum est in memoriam christianorum martyrum ibi supplicio datorum, inter quos numerantur sanctæ Felicitas et Perpetua ; Francogalli enim eo tempore christianam religionem in Tunesia magnificare volebant.

In colle *Byrsa* etiam conspici potest vicus parvarum domorum, « vicus Hannibalis » vocatus, secundo sæculo exstructus. Mare nitet in propinquo, sol nubibus percolatus, ut fit hoc anni tempore, æstum facit tolerabilem. Rarissimi cum sint periegetæ, hæc lustratio temporis acti aliquid habet magici.



« Vicus Hannibalis ».

In viso parvo museo ibidem instructo, Tunetum relinquimus Thuggam (*Dougga*) versus. In itinere cauponulam invenimus ubi frustulum edere licet, rude quidem, sed « fames optimum condimentum », ut aiunt.

In viis pauci ambulant asini, qui ante viginti annos erant vehicula communia ; at quo magis, posteris diebus, descendemus ad meridiem, eo plures videbimus, herum mercesque inter autocineta tranquille vehentes. Nec raro præbetur mirum spectaculum viri rædam asinariam gubernantis simulque ad aurem tenentis... telephonum gestabile.

Inter omnes urbes Africæ Romanæ, Thugga fortasse est maxime magnifica, imprimis quod optime est servata, sed etiam propter ipsum locum : nam e summitate, ubi sita est, prospectus est mirificus. Hic usque ad annum 1959 intra parietinas erat vicus modernus, qui postea expulsus est. Manent tamen paucæ domus Berbericæ, adhuc occupatæ. Thugga nunc pertinet ad patrimonium orbis terrarum (*Unesco*).

Pæne soli (quanta felicitas !) lustramus aream archæologicam, templum Triadi Capitolinæ dicatum, arcum triumphalem, alia templa, thermas ubique, cisternas,

mausoleum Libyco-punicum, tot et tanta. Ah ! Ecce tamen grex peregrinantium : omnes stant (aut etiam sedent), hilares, in publicis latrinis, quas scimus semper plures homines attrahere quam ullum aliud monumentum.

In reditu brevem stationem facimus ad inspiciendas reliquias oppidi *Ain Touga*, ubi fuit antiqua Thignica. Solum ibi manet castellum Byzantinum sexti sæculi.



Thugga : theatrum.



Thugga : Capitolium.

*Lunæ die.*

Deversorium multo mane relinquimus ; talis erit itineris condicio cottidiana ; at hic non sumus ad quiescendum, ut patet. Hodie iterum aliquid additur programmati : Uthina (*Oudbna*). Uthina, triginta circiter chiliometris ab urbe capite sita, post Carthaginem est maxima Tunesiæ area archæologica. Est tamen eo parum investigata, quod inter secundum bellum mundanum ibi fuit aerodromus, quod bombarum displosiones factæ sunt in thermis et quod adhuc inter ruinas inest campus militaris ; ceterum hoc loco plures ambulant agricolæ quam archæologi. Supersunt tamen pulchra vestigia, aquæductus inter alia.

Hic aquæductus Carthaginem antiquitus ducebat aquam ; Arabum tempore Tunetum derivatus est, quæ derivatio in usu fuit usque sæculum duodevicesimum.

Uthinæ, cum de effossionibus nondum quicquam sit publicatum, sive potius nondum quicquam dicatur esse publicatum, nam librum tribus diebus post videbimus in aliquo museo, non licet photographemata facere. At cum nullus etiam adsit vigil, hoc interdictum facimus flocci. In Capitolio ambulant nonnullæ gallinæ, nam iuxta est villa rustica. Restructa est una ingensque columna, cuius spectaculo lustratores excogitare possint quanta fuerit templi nobilitas. In medio templo domum posuerat Francogallus quidam, qui ante paucos demum annos est expulsus. Ambulamus inter reliquias thermarum, domorum et amphitheatri, ubi operarii eruderant segnissime.

Mystagogus noster historiæ artis peritus est. Est vir ingenio præditus, patriæ amans, pius non sine ratione. Cum via sit longa, neque ipse taciturnus, multa narrat de hodierna Tunesia eiusque moribus, quæ studium nobis movent.

Quarta pars populi scholam frequentat ; hoc significat populum Tunetanum esse valde iuvenem. Institutio est obligatoria : minimus maximeque remotus vicus suam habet scholam. Pueri, postquam Arabice discere inceperunt, post tres annos transeunt ad linguam Francogallicam, postea ad alias etiam linguas. Francogallica tamen manet lingua institutionis præcipua. Et re vera mox in longinquis vicis occuremus puerulis, qui nova scientia elati nobis Francogallice exoptabunt sive bonum diem sive bonam vesperam, nullo horologii respectu.

Aliquæ mulieres ambulant iuxta viam. Ad eas spectans : « Apud nos, ait mystagogus, homines nuptias faciunt æstate, divortium hieme. » Tunesia enim inter mahumetanas civitates est eximie moderna. Anno 1956, natione modo facta sui iuris, futurus præses Habib Bourguiba (1903-2000), tum primarius minister, edixit « Codicem status personalis », quo instaurata est æqualitas inter viros et feminas. Hac lege promulgata, feminæ Tunetanæ vera iura acceperunt : polygamia est abolita, divortium permissum, abortus lege administratus. Matrimonium non iam fieri potest sine utriusque



*Uthina : aquæductus.*

consensu. Nolimus tamen putare puellarum libertatem eandem esse sicut apud nos : plerumque familia, non puella, sponsum quærit qui pertineat ad bonam stirpem ; puellæ autem licet quidem recusare, sed validis allatis rationibus : ne satis habeat dicere eum esse minore statura aut fædo naso præditum !

Ceterum ab anno 1960, propter difficiliores condiciones œconomicas, inita est politica infantium numerum minuendi : gratuita facta est non solum contraceptio, sed etiam sterilizatio.

Sic colloquentes pergimus ad meridiem, moxque perventuri sumus ad locum cui nomen quarto sæculo datum est hoc : Respublica Felix Thuburbo Maius. ☞

*(continuabitur)*



*Uthina : Capitolium.*

## DE ARTIS CINEMATOGRAPHICÆ MORTE

– scripsit Stephanus Berard –

Spectacula cinematographica mihi semper cordi fuerunt. A iuventute favebam præsertim eis pelliculis quæ voluptatem aliquam æstheticam magis quam merum oblectamentum affectarent... vel eis in quibus artes cum visificæ tum auditoriæ quam efficaciter adhiberentur. Annis vicesimis meis scænarum magistri mihi acceptissimi erant Fridericus Fellini et Ingmar Bergman, ac profecto magnopere admirabar Orsonem Wells, vel saltem huius felicissimum usum artis cinematographicæ. Studebam tamen magis magisque et operibus talium qualium Franci Capra qui imprimis oblectare vellent, qui tamen simul imaginibus motis perite uti scirent. In huius opere titulo inscripto *It Happened One Night* (« Quadam Nocte Accidit »), cum Clericus Gable Claudettam Colbert brachiis trans rivum portat, contra horum rixas pæne perpetuas, lunæ lumen a rivi rore scintillans ambasque personas complectens spectatori pelliculæ finem amatorium certo certius præsigit. Scilicet Capra linguam cinematographicam bene intellegebat.

Postea Alfredum Hitchcock, cum hic quoque ante omnia multitudinem oblectare cuperet, nihilominus vere, etsi vel quodam plebeio more, ingeniosissimum, immo fortasse et omnium scænarum ordinatorum maximum esse animadvertēbam. Complures quidem ex Alfredi operibus aliquo vitio vel insulsite aliqua interdum deformata sunt (haud autem *Notorious* sive « Infamis », perfecta gemma pelliculæ); attamen ipse tam ludibunde pelliculas suas faciebat tamque pronus erat in experimenta nova peragenda tamque lepidō sollertique more scænas imprimere potuit, spectatoris animum variis modis insolitis intendens nec tamen a fabulæ cursu avocans, ut pelliculæ eius ante omnia ipsius spectationis causa spectantium animos caperet delectaret efferret.

Quod ad artem cinematographicam attinebat, eodem gaudebam quo ceteris in artibus: hoc est, copia novorum repertiendorum. Maxime placebat mihi perspicere quomodo lingua cinematographica fabulam clam annotare commentarique posset; immo, quomodo quasi secundam fabulam intra primam tacite narrare posset; quomodo me demum ad cogitandum urgeret. Verbi gratia, in illa pellicula cui est titulus *Strangers on a Train* (« Fortuitus Congressus in Tramine »), post eam scenam in qua « heros » et malus illius domum ab altero viæ latere una speculantes vigilesque advenire videntes pone portæ cancellos se celant, plerique captus photographici subsequi aut cancellos aut alias formas cancellatas virgatasve monstrant, quæ imagines carcerem eum menti proponunt quo scimus personam præcipuam se periclitari sentire. Quam mirum fuerit hoc detegisse numquam obliviscar. Haud scio an plerique spectatores hoc tantum

subconscie (sive « sub limine » conscientiæ) animadvertant; sed qui ipse talia subtiliora suo Marte deprehendit se cum scænarum dispositore sive cum cinematographo consuetudinem aliquam, etsi artificiosam, summe tamen gratam et fructuosam, inire videtur sibi. Quo fit ars cinematographica res non solum creatrix sed etiam summe humana et intima.

Occurrit alterum exemplum hoc. In pellicula Hitchcockiana cui est titulus *Suspicion* (« Suspicio »), Lina (cuius partes agit Ioanna Fontaine), uxor iuvenis delicatiorque cuius animus æquis partibus anceps distrahitur inter mariti, Ioannuli Aysgarth (Carii Grant), amorem et, altera ex parte, suspicionem suscitatum ob huius facta insolita et morem se gerendi inexplicabilem, depingitur cinematographice ut umbra transversa in duas partes divisa. Talibus accedunt apud Hitchcock et mirandæ aliæ compositiones textusque elegantes crebro inter se excipientes... velut fenestræ illæ pluvia fluentes harumque umbræ quibus pulchre variantur parietes villæ illius *Manderley* vocatæ in pellicula titulo inscripta *Rebecca*. Immo in prope omnibus operibus Hitchcockianis, etiam in mediocribus paucis, fit usus assiduus umbrarum, maxime quidem in *Shadow of a Doubt* (« Dubii Vmbræ »), quæ pellicula Alfredi prædilecta fuisse videtur.

Haud immerito dixerit aliquis Alfredum Hitchcock nulla re magis præstitisse quam umbrarum usu imaginibusque bicoloribus; at, ecce, spectacula eius colorata, præsertim *Vertigo*, colorum coniunctiones præbent nunc iucundas, nunc audaces, nunc subtilissimas, nunc speciosissimas. Et specta quomodo, in *Vertigo*, urbs Franciscopopolitana etiam sub sole tamquam somniata videatur. Hoc partim effecit ille sive res lenti imponens sive res inter lentem et subiectum interponens; huius autem effecti magnam partem patravit per usum silentii. Est adeo huius pelliculæ pars in qua per viginti minutas partes horæ eduntur tantum duæ brevissimæ sententiæ. Immo displicebat Alfredo id elementum quod in pelliculis et spectaculis televisificis « capita loquentia » dicitur. Fabulas suas oculis potius quam auribus offerre malebat. Sæpe quidem, velut in *Torn Curtain* (« Aulæum Scissum ») et *Topaz* (« Topazion »), cum res maximi momenti inter fabulæ personas communicantur, spectator quasi surdus tantum observat loquentes. Hitchcock enim, quippe qui curriculum vitæ suum incohavisset in pelliculis mutis concinnandis, quid esset res oculis monstrare adamussim callebat.

Postea pelliculas paulo antiquiores ac tandem etiam multo antiquiores libans mira interdum facinora cinematographica inveniebam, magis magisque dispiciens quibus e fontibus hausissent Hitchcock alique. Immo enimvero ex mutis numerandæ videbantur aliquot inter



*Pocillum caffearium magni momenti. (Ex 'Infamis').*

omnium optimas, quamquam, quod summe dolendum, e talibus priscis pelliculis tantum paucissimæ bellorum, incendiorum, temporis sævitiam superaverant. Inspice Octavum Actum illius operis Georgii Vilelmi Pabst cui est titulus *Die Büchse der Pandora* (« Pandora Pyxis » 1928, cuius primas partes agit Ludovica Brooks, artis histrionicæ modernæ omnino « naturalisticæ » repertrix) et aliquot ex præstantissimis compositionibus visificis videbis quæ celluloidæ umquam sunt commissæ. Sicut in optimo genere operum cinematographicorum, imaguncula sive « fenestella » quæque huius actus digna sit quæ in pinacothecæ expositione photographica statuatur. (Ex quattuor soni tractibus in disco *Criterion* præbitis eligas suadeo eum in quo canitur solo clavichordio.) Si pelliculam Evaldi Andreae Dupont titulo inscriptam *Piccadilly* (1929) spectabis, videbis fabulam satis solitam sed – præsertim post dimidiam partem – ob scænaram præfecti unicum ingenium in summi artificii exemplar transfiguratum. Complures ex scænis sunt quasi breves *tableaux*, sive imagines personarum magna ex parte immotarum aut tantum lente se moventium, magis quam scænæ cinematographicæ tralaticia. Specta invicem *Gösta Berlings saga* (« Fabula de Goesta Berling », 1924) Mauriti Stiller ut videas, præsertim in secunda dimidia parte, « Romanticismi » effrenati imaginationem ævo nostro iam prorsus alienam. Artem histrionicam inibi exercitam cave ne temere ut « immoderatam » respuas sed potius finge te in alterum mundum animi affectuum a nobis iam elapsorum translatum. Scæna illa in qua trans lacum congelatum contenditur (nec de qua re hic agatur prodam !) quodammodo excerpta videtur ex aliquo opere Ioannis Goethe carmineve Francisci Schubert. Laurentius Hanson et Margarita Garbo ita oculis nostris mirantibus præbentur ut pæne numina esse videantur... numina scilicet animi plerumque excruciat! Garbo, in hac prima magna pellicula sua apprensus atque ineuntis sæculi undevicesimi more fucata vestitaque, magis somnium quam homo est. Haud mirum est quod hæc Sueca postea omnium « luminum » cinematographicorum inlustrissimum facta est. Quæ scribens non solum pulchritudinem eius respicio – nam tali emolu-




*Sic videt Alicia Huberman crapulenta (Ingrid Bergman) T.R. Devlin (Carius Grant) e lecto suo. (Ex 'Infamis').*

mento haud scio an Ludovica Brooks ceteras vicerit – sed specto ad id quod « scænæ dominatus » dici potest. Hoc pollebant et Clinton Eastwood et Carius Grant. Hi tales sunt in quales, si in albo cinematographico usquam apparent, spectator oculos intendat.

Multæ ex agendi rationibus technisque a prioribus scænaram magistris repertis in modernorum thesaurum acceptæ sunt. Interdum ea quæ nuper offeruntur digna sunt patrimonio suo ; sæpe autem navis divitiis familiaribus onusta fatuo mari temere mergitur. Prodeunt tamen adhuc nonnulla opera recentia sat proba. Scorsese et Malick et De Palma, verbi gratia, nova adhuc moliantur. Quidam actores nunc vigentes rem cinematographicam ad unguem callentes laudanda protulerunt, velut *Onegin*, quam pelliculam ordinavit Martha Fiennes et cuius primas partes egit Radvulfus Fiennes, necnon et exquisitum illud opus Roberti De Niro cui est titulus *The Good Shepherd* (« Pastor Bonus »). Considera scænã illam prope huius pelliculæ finem positam in qua persona illa cuius partes agit Matthæus Damon filium suum amplexatur paulo postquam feminam quæ huic filio nuptura erat ex aeroplano alte volanti eici vidimus. Si adhuc dubium est utrum pater (Damon) horrendum facinus iusserit necne, hoc dubium eo amovetur quod cinetomachina diu, immo diutissime, intenditur in patris vultum, in oculos tragicos ob crassa ocularia in turgidum distortos. Hæc est poesia ex imaginibus facta.

Mihi semper placuerunt et mediocres pelliculæ in quibus saltem aliquid inesset iucundi. Vel spectacula de Iacobo Bond facta libenter intuebar (plane ante illam calamitatem pelliculæ quæ *A Quantum of Solace* sive « Quantum Solatii » nominatur) magna ex parte propter speciosa loca exotica pulchrasque feminas et pugnarum choreographiam necnon effecta illa quæ specialia dicuntur. Placebant mihi (numquid quia vir sum ?) multæ ex illis pelliculis quæ facinora memorabilia et periculosa monstrabant. Quid speciosius quam illæ pelliculæ Hortorum Iurassicorum ? Illi dinosauri tam iconice atque in omnibus minimis singulis suis proponebantur oculis ut etiam per eorum motus disceres quomodo fungerentur corpora illa ingentia. Hæc etiam ars est... et



*Bruno (Robertus Walker) post Miriam (Laura Elliott) buiusque amicum in eadem scaphula sedet dum « Cuniculum Amatorium » intrant. Personarum nil iam cernimus nisi umbras magna vi significationis præditas. (Ex 'Fortuitus Congressus in Tramine').*

oculis gaudium. Et Stephanus ille Spielberg ! Tametsi, meo quidem iudicio, vulgo nimis multa concedere solet, nihilominus aliquot ex præstantissimis imaginibus Americanis animum nostrum permoventibus creavit quæ umquam creatæ sunt, picturis Normani Rockwell omnino comparandas. Quid, exempli gratia, de illo puella extraterrestrium lumen digito indicanti in spectaculo illo cuius titulus est *Close Encounters of the Third Kind* (« Tertii Generis Congressus e Proximo »)? Quid de tramine illo per oppidum velocissime ruenti flammisque simul effundenti in opere illo *War of the Worlds* (« Bellum inter Mundos »)? Qualem imaginem!

At curnam voluptatum mearum cinematographicarum hunc indicem pæne fortuitum recitem? Hoc facio, care lector, ut mox intellegas cur demum affirmem fieri posse ut ars cinematographica iam lente demoriatur.

Quondam, prioris sæculi mediis nonagesimis annis, id temporis spatiolum molestum tolerantes quo in theatro cinematographico spectatores, immo, spectaturi raucis libationibus pellicularum venturarum tali modo exagitantur et obruuntur ut etiam opera non prorsus improbanda pessima tamen videantur, ego et frater, Gregorius nomine, commentarios inter nos fecimus de sonis illis displosivis omnino gratuito inter breves captus vel scænulas plane idcirco interpositis ut hæ pelliculæ quam vehementissimæ spectatorumque maizium inflatum in ipsis cistis tremefacturæ viderentur. Ni fallor, ego fui qui rogavi – sine dubio postquam pellicularum libationes obstrepentem cursum suum iam perfece- rant – quænam futura esset proxima ineptia degenera cinematographica. Fateor me non prædixisse hanc venturam ineptiam fore machinæ cinematographicæ assiduum quassationem.

Anno MMVI illa interrogatio mea ante fere decennium facta responsum suum accepit cum quandam novam pelliculam una cum amico quodam meo in cinemateo spectare conatus sum. Huius operis cum argumentum tum histriones partes agentes mihi arridebant ; nihilominus post tantum paucas minutas me nullo



*Quis esset Miriam (Laura Elliott) sicarius (Robertus Walker) facile agnovit propter ocularia. Quibus ex ocularis repercussam videmus nunc mortem illius. (Ex 'Fortuitus Congressus in Tramine').*

modo delectari animadvertēbam. Nulla enim usurpabatur « lingua cinematographica » ; cinetomachinæ motus et positiones nihil significabant ; immo, ob machinam instabilem res paulo difficiles erant intuitu. Oculi mei « pasci » nequibat. Videbatur scænarum magister prohibere velle quin quicquam diutius quam semisecundam partis horæ inspicerem. Rerum textus ob oscillantem machinam obscurabatur. Histrionum gestus et choreographia, si quæ erant, magna ex parte vel omnino debantur. Ea quæ oculis meis proponebantur non licebat vere spectare. A me potius postulari videbatur ut atcorum verba auscultarem imaginesque oculis perstringerem quidem, in has autem animum non valde intenderem. Exceptorem huc illuc deambulāntem temere ac pæne fortuito histriones machina sua captare patebat tamquam in illis pelliculis institutoriis quæ « documentariæ » dicuntur... etiamsi hæc nulla erat documentaria. Ecquid, me rogabam, spectator solitus hodiernus mentem in singulas res diutius quam culex intendere nequibat? Ceteros spectatores circumspiciens neminem vidi aperte tanto fastidio affectum quanto me. Gravabat quod captus instabiles nimis comminus facti necnon et focus opticus abrupte et sine iusta causa identidem mutatus ac prospectus interdum ad res nullius momenti longe oscillatorque detractus me mox aliquantum clausorum locorum pavore afficiebat tamquam si proprios oculos regere nequirem. Evasit igitur ut in theatri atrio acta diurna legerim donec amicus, peracta pelliculæ exhibitione, egressus est.

Equidem haud ignorabam usum cinetomachinæ solutæ alicubi gentium acceptum, immo acceptissimum, factum esse ; nec talia me latuerant in præconiis televisificis et excerptis spectaculorum televisificorum quæ, plane, haudquaquam spectaturus eram. At saltem in cinemateis, sive conscie sive subconscie, talia effugere poteram. Haud scio an mihi pepercerat quod pellicularum novarum libationes excerptaque spectare solebam. Sciebam sane illud opus titulo inscriptum *The Blair Witch Project* (« Susceptum ad Lamiam Blair Attinens »)



hunc infaustum morem primum induxisse. Talem rationem pellicularum concinnandarum cinematographis solito modo operandi longe faciliorem vilioremque esse patebat, cum captum quemque haud iam necesse esset in antecessum excogitare et designare. Exceptori licebat huc illuc spatium et res in scæna gestas tamquam in opere documentario tumultuario speculari. Pro qua nova facilitate concedebantur autem distinctæ « linguæ cinematographica » emolumenta. Talia facientes non artem cinematographicam sed potius artem tantummodo visificam, id quod Anglice *video* vocatur, exercere dicerentur... scilicet omnino simplici more quaslibet imagines se forte præbentes nulla data cura excipiendo. Iam exstare videbantur, ecce, duo genera pellicularum : altera ex parte cinematographicum, ex altera « visificum ». Hoc constare videbatur ex solitis documentariis sat temere factis atque ex novo genere pellicularum, quod vel ad aspectum attinebat, neglegenter et stulte factarum.

Plerosque se opera cinematographica « spectare » affirmantes non vere spectare sed potius solummodo fabulæ cursum sequi et elementa cinematographica, quæcumque essent, sive bona sive mala, sat passivo modo experiri iam pridem suspicabar ; sed usque ad quem gradum hoc verum esset animo minime amplexus eram. A multis hominibus de hac re consultatis didici hæc : quinque et viginti fere centesimas partes solutæ solutissimæve cinetomachinæ usu aut vexari aut nausea affici ; septuaginta fere centesimas hanc rem non valde animadvertisse sive nil curare ; quinque fere centesimas partes hanc rationem defendere, e quibus plerosque dicere spectacula hoc modo facta animos sibi magis commovere quia se in ipsam actionem transferri viderentur.

Solutæ cinetomachinæ mos manifesto exortus est e genere documentario ; nam in operibus vera et nonnumquam tumultuaria monstrantibus non semper fieri potuit ut machina stabilis adhiberetur. Annorum decursu cinetomachinæ quassationes et oscillationes nimirum magis magisque cum « realitate » sive rebus vere accidentibus coniungebantur. Hoc est, machinæ administratio instabilis vim vel significationem specialem adeptæ est. Hæc significatio erat plane artificiosa, sed hoc nullo modo improbandum est ; nam ars cinematographica *ars* demum est. Qui fit autem, roget aliquis, ut instabilis machinæ usus sit artificiosus ? Ad quod respondeo cerebræ nostræ quodam apparatu instructa esse « obtutus stabilimentum » vocatus, cuius ope nobis huc illuc moventibus totus mundus non quati oscillareve videtur. Quibusdam in avibus prædatoriis talis apparatus nostro etiam potentior est ; atque temporibus præhistoricis existerunt dinosauri volantes obtutus stabilimento maiore fruenter quam nostri ævi animans quodquam. Ei qui potenti obtutus stabilimento nititur non videntur quati circumiecta nisi ipse vehementer concutitur. Itaque cinetomachina instabiliter administrata res gestas maxima ex parte non ita monstrat ut nos eas vere experimur. Machina solute tractata actiones ita monstrat ut eas *per machinam solutam experimur*. Nos moventes circumiectum mundum multo minus quam nosmetipsos moveri sentimus.

Imagines igitur soluta cinetomachina factæ significationem artificiosam sive vim semioticam accipiunt. Detrimto autem est quod, sicut in omnibus artibus elegantibus, quo magis usurpantur methodi aleatorix eo magis circumscribitur simul thesaurus modorum semiotico- rum qui una cum his adhiberi possunt. Scilicet quo magis fit fortuitum quidpiam, eo pauciores fiunt rationes quibus hoc aliquid definitum significare possunt. Vel delineationi inseri possunt passim formæ fortuitæ ad umbras dubiave alia proponenda ; prout autem talia augentur, minuitur copia illorum elementorum quæ contemplanti communicari possint. Instituuntur interdum rationes aleatorix tantummodo experimenti causa, nam fortuita nonnumquam necopinato miranda secum ferunt ; hoc autem tantum raro fieri solet. Notissimi illi modi musici aleatorii Ioannis Cage fama haud ideo pollent quia hominum auribus præsertim iucunda notatave digna offerant sed potius delectat imprimis nil nisi horum ipsum illud aleatorium. Talia experimenta curiosis arrident ; attamen id quod omnino aleatorium est tantum unum exprimere solet : fortuitum. Ratione enim per se singulari simplicique utitur. Fortuitum se rarissime excedens non ea causa excedit quod per se aliquid novi significet sed potius quod fortuitum interdum fortuito minus videatur fortuitum necesse est.

Periti igitur artifices quodvis artis genus exercentes, id cuius mentionem modo feci, fortuita modice incipientes valde felicia attingere valent. Ille Jackson Pollock tabulas pinxit quæ haud scio an neglegentius observanti casu factæ videantur sed quarum casu positæ sunt solum ipsæ singulæ maculæ guttæve ; quas tamen picturas si ut totas contemplamur, rhythmos et colorum coniunctiones prorsus consulto et dedita opera effectas deprehendimus. Pollock pingendi arti contulit hoc : quod primus monstravit quomodo partes semifortuitæ in tota non fortuita consociari possent. Quibus opera Pollockiana non sunt cordi, hi tamen principium modo expositum assequi poterunt.

Quod principium si in regnum cinematographicum transfertur, videmus cinetomachinæ administrationem aleatoriam significationem quidem accipere posse, sed tantummodo, ut dicitur, « monolithicam ». Pellicula machina soluta facta plane quidem efficere potest ut spectans sibi « in ipsam actionem » translatus videatur, sed hæc ratio instabilis impedit quominus cinematographus per artem suam alia distincta oculis proponere valeat. Deverbia et ipsa histrionum ars necnon et talia qualia luminum temperatio tractusque sonorus alia significantia plane addere possunt, et talis pelliculæ ordinator eligere potest num velit, verbi gratia, captus comminus an minus facere ; sed plura subtilia addere nequit. Spectatori præbentur imagines quarum circumiecta semiotica omnino sunt ieiuna. Pelliculæ subiecta quasi casu temereque cernimus, hoc est, simpliciter, pæne tamquam pueri, nullis suppeditatis artificis commentariis, velut adempta ipsius scænarum magistris mente. Ea quæ nobis proponuntur mentem excitent, ipse autem modus videndi docere acueri provocare ægre



*Lulu, vitæ Venerisque liberæ et innocentiæ symbolus, (Ludovica Brooks) et « Ioannulus Scissor » Londiniensis (Gustav Diessl) lucem fieri placide spectant : imago simul oculos et mentem suscitans. (E 'Pandoræ Pyxis').*

potest. Opus potius « visificum » quam cinematographicum spectamus.

Bona fide sed nihilominus instabili modo excepta sunt nonnulla opera quæ adeo præmiis sunt honestata et hominum animos commoverunt ; qualibus quidem etiam sollertiores induci possunt ut se talia spectantes vera arte cinematographica frui perperam opinentur. In hoc videlicet maximum versatur periculum ; nam plane potest fieri ut talis pellicula animum interdum commoveat arte aleatoria tantummodo *visifica*, nullo tempore plus unum tantum simplex nuntium impertienti, nixa potius quam ratione vere *cinematographica* semiotice distincta, variata, plura simul significanti, curiose excogitata per imagines plures cogitationes excitanti. Cum talis operis ipsum argumentum animum movere valeat, facile obliviscimur eam partem quæ oculis præbetur nil nisi aliquot minima singula ad ipsas res gestas comprehendendas necessaria suppeditare. Ars aleatoria quin intellegenter reputemus non prohibet, nec tamen adhortatur. Immo hoc instabilis cinetomachinæ præcipuum detrimentum est : quod nuntius iste « nos excitari » sive « hoc verum esse » nimis simplex est si cum veræ artis cinematographicæ cetera maxima vi informatica comparatur. Vt spectator cogitabundus res gestas oculis meis oblatas non vere fieri scio ; si igitur nullum alium nuntium visificum percipio quam *Hoc verum'st ! Hoc verum'st ! Hoc verum'st ! Hoc verum'st ! Hoc verum'st !*, primum me tædet, dein stomachari incipio... et multi adeo nausea afficiuntur. Imagines propositæ nullo modo hortantur ut sollertia iudicandi utar. Immo sæpe impediatur quin oculos in quoquam figam. Artificium experior quam priora et solita longe minus ipsis imaginibus fretum. Multo minus opus cinematographicum contemplor quam stimulis sensoriis tamquam rattus probatorius obicior. De visis cogitare licet, sed ut hoc faciam haud suadet mihi. Immo fugaces imagines magna ex parte neglegendæ videntur. Iniungitur mihi ne oculis tantopere nitatur. Cur cinetomachina subito sinistrorsum inclinetur dextrorsumve inopinatum motu propulsetur non est rogandum. In talibus nulla est quærenda significatio.



*Ecquid Carolillam (Terentiam Wright) minatur ? (E 'Dubii Vmbra').*

Pro di immortales ! *Nulla est quærenda significatio ! ...* At hoc, significationes rationesque quærendo invenire, id est quod me spectantem maxime delectat ! Nil iucundius est in pelliculis quam ratio qua spectantis mens cum mente cinematographi reciproce agit ! Fortuiti stimuli, quibus vita cottidiana scatet, in artificio frigent. Novam rationem spectandi requiro ! Rationem *spectandi !* Ne me stultificare temptes !

Inde quidem ab ipso initio quatiiebantur interdum cinetomachinæ. In illa præclara pellicula cui est titulus *Citizen Kane* (« Cane Civis ») titubat paucas secundas machina cum ipsum Cane, magnatem satis solitarium, tamquam in pellicula diurnaria tumultuarie exceptum conspicimus. Nonnumquam fit ut instabilis machina magnam vim habeat, velut in pellicula cui est titulus *The Road to Perdition* (« Via ad Interitum Ducens ») in illa scæna ubi Michael Sullivan, cuius partes agit Thomas Hanks, rædam noctu e via actam in agro statuit ut cum filiolo suo severum habeat colloquium. Hæc machinæ perturbatio persubtilis est nec plus unam minutam partis horæ durat. Qua de causa animum nostrum, vel saltem huius partem subconsciousiam, movet. Videlicet, cum significationes, ut res demum binares, ex elementis contrariis oriri necesse sit, si tota pellicula hoc modo excepta esset, hæc quassatio nihil prorsus significaret. A socordibus præconiis commercialibus televisificis nos cottidie circumdantibus nihil differat : *Hoc verum'st ! Hoc verum'st ! Hoc verum'st !*

Haud scio an cinetomachinam instabiliorem nusquam efficacius administrari viderim quam in pellicula cui est titulus *Harry Potter and the Half-Blood Prince* (« Haroldulus Figulus et Princeps Sanguinis Seminobilis ») in illa scæna ubi extra villam familiæ Weasley medio in agro maizio consito aggrediuntur Voratores Mortis. Quamvis hæc pars quinque fere minutas duret, vim significandi non amittit ; nam, altera ex parte, genus excipiendi ab eo in cetera pellicula usurpata valde discrepat atque, ex altera, hoc genus hic imaginibus segetum Mortisque Voratorum huc illuc ruentium optime congruit. Sic aptissime depingitur subitus peri-

culi chique sensus.

Deplorandum autem videtur quod recentibus annis complures prodierunt pelliculæ quarum cinematographia primum, etsi haud semper notatu digna, satis stabiliter sit facta, aliquando tamen post mediam partem duasve tertias partes in quassationes titubationesque delabatur tamquam si spectatori indicetur nunc demum animi affectus esse concitandos. Quæ tamen agendi ratio satis gratuita evadere solet; immo hæc in talem locum communem conversa est qualis clavichordii soni parci levesque affectus animi tenellos experiendos esse indicantes vel illi fidium modi tardiores et *pizzicati* nunc comice ridiculeve agi significantes.

Subitus deflexus in modum instabilem a pellicula alioquin haud mala sæpe nimis detrahit, velut in *The Merchant of Venice* (« Mercator Venetus ») in qua pellicula, cum fit conflictus dramaticus maximus, machina subito ita vehementer vacillat ut quicquid facit peritissimus ille Alfredus Pacino, mercatoris partes agens, omnino aboleatur. Recenti in pellicula cui titulus est *Up in the Air* (« In Aëre Suspensus ») vibratur machina nulla iusta ex causa in scænis illis ad convivium attinentibus. Qua ratione præfectus scænarum, Iason Reitman, haud scio an personas principales convivio penitus immiscere voluerit; at hoc modo nihil attingit quam ut hæc personæ a spectatoribus nimis longe amoveantur atque ut nobis subito minoris sint, adeo nonnihil ridiculi videantur. Feliciter autem ante spectaculi finem Reitman frenas sibi iterum arripit... et Georgius Clooney scænam bene dominare scit.

Haud mirum est quod læva cinetomachinæ administratio a commercium cinematographicum regentibus non solum toleratur sed etiam præmiis compensatur. Similis novarum libidinum ridicularum favor videtur passim etiam in academia. Meministine istius litterarum « deconstructionis » sub qua litteras recensentibus doctis quicquam quod intellegi posset scribere interdiceretur? Ecquid memoria tenes colorum malvacei et callaini coniunctiones istas « postmodernas » quas architectos, præsertim nonagesimis annis, secundum legem quandam ferream adhibere oportebat? Syndrome illa *Novarum Vestium Imperatoris* semper exstabit. Nonne igitur præsens cinematographorum multorum inclinatio in stro-

phas gratuitas nilque significantes tandem aliquando obsolescet? Nonne hæc absurda et insulsa, ut per se molesta, se ipsa tandem aliquando periment?

Quo hæc omnia sint re vera evasura difficile est præscire; pessimo autem in casu opuscula televisifica et ea quæ per Interrete temere præbentur necnon pelliculæ neglegenter factæ efficiant ut iuvenes nostri funditus dediscant artem imaginum motarum vere, attente, intelligenti spectandarum. Plerorumque memoriæ excidat notio illa captum quemque cinematographicum ita præparandum esse ut cum spectatore quam plurima communicentur sive ut, ipsius artis gratia, principia æsthetica quam felicissime colantur. Restent certe ei qui plus quam imagines solum *visificas* sibi requirant; sed hi tam rari sint quam hodie carminum poeticorum lectores. Stultificationis alterum detrimentum ex eo constat quod primum (h.e., ipsa stultificatio) facile perpetuum fieri potest. Prioris sæculi annis quinquagesimis et sexagesimis, vel in Civitatibus Fœderatis Americanis (de aliis terris pauciora scio), constituerunt commercii televisifici rectores plerisque in spectaculorum generibus, etiam in diurnariis generalibus, locutoribus ea tantum linguæ Anglicæ elementa grammatica eamque vocabulorum copiam usurpandam esse quæ ludi grammatici alumnis quarti gradus nota erat. Quamobrem locutores nostri plerique nunc sententias plerumque imperfectas effantur aut « integras » sed concordia inter subiectum et verbum temporale carentes, et rarus est qui, ut se a morte servet, interrogationem obliquam componere valeat. (« *They wanted to find out what would the president do about Russia* ».) Hoc loco lector suppleat id quod sibi molestissimum videtur: hoc est, vitium aliquod quod eo existit quia aliquid per se magni pretii ob ignaviam, neglegentiam, ignorantiam amissum est.

Qui pessimus casus modo descriptus fore ut nunquam fiat spero. Concinnantur adhuc, id quod supra scripsi, pelliculæ arte et cogitatione præditæ. Horum creatoribus animos addamus spectantes, laudantes, in sitibus cinematographicis commendantes... et pro stultitia visifica stellas approbationis invicem deducentes. Recensiones conscribamus opera cinematographica considerata extollentes. Quibus factis, ars cinematographica forsitan sit superstes futura! ☺



*Somnium paranoicum a Salvatore Dalí designatum. (Ex 'Incantamento Captus' sive 'Spellbound').*



*Lina (Ioanna Fontaine) anceps hæret. (Ex 'Suspicio').*

## HEREDITAS

– auctore Vidone de Maupassant, <sup>1</sup> interprete Erico Palmén –

**E**rat modesta familia duorum coniugum. Vir frugalis et scrupulosus, exigua quidem statura, nomine Léopold Bonnin, officialis in ministerio fideliter munera sua exsequabatur neque alia cogitabat quam ea, quæ decebat cogitare. Educationem religionis plenam acceperat, sed cum in civitate id agi cœptum esset, ut Ecclesia a Re Publica separaretur, religionem minoris quam antea faciens intra parietes ministerii ita palam magna voce declarabat : « Equidem summa sum pietate, sed tantummodo in Deum, non in Ecclesiam. »

Idem summæ se honestatis esse prædicare consue- rat, superbe pectus sibi percutiens – neque iniuria : honestissimus enim vir profecto erat, ignobili quidem significatione huius adiectivi. In officinam cotidie tem- peri adveniebat, temperi inde excedebat, non in futi- litatibus tempus terens semper in medias res pecuniarias incumbere solebat. Filiam pauperis collegæ sui uxorem duxerat ; sed hic prædivitem habebat sororem, quæ olim amore animata cum futuro marito suo nuptias celebraverat. Soror illa progenie carebat, quod ei mæro- rem attulit ; neque aliter agere potuit quam filiæ fratris bona sua testamento legare.

Hac de futura hereditate familia continenter cogita- bat ; qua non solum domi coniugum mentes occupa- bantur, sed in ministerio quoque omnes sciebant « familiæ Bonnin milionem fore ».

Etiam Léopold et uxor eius progenie carebant, sed hac egestate non sollicitabantur ; in angustiis habi- tantes in sæpta honestate tranquillam vitam agebant. Domi eorum, ut qui ipsi honesti et modesti essent, omnia purgata erant et in ordine. De liberis procrean- dis illi ne cogitabant quidem, rati prolem, quæ quietam vitam diurnam et somnum nocturnum multimodis tur- baret, sibi nonnisi incommodo fore. Nimirum, si voluissent, ad familiam augendam plus facere potuis- sent ; sed perpauca fecerunt, cum cælestibus quoque numinibus – eo melius ! – visum esset eos prole non donari.

Amita autem prædives dolens, quod heres optatus nasciturus non esse videretur, consilia eis dare adorta est, quibus ad familiam augendam uterentur. Ipsa olim frustra mille rationes ab amicis et medicis circumfora- neis commendatas experta erat, ut graviditatem asse- queretur, ac postea præterita iam ætate, qua partum edere posset, mille alias rationes cognoverat ; quas cum ipsa experiri non iam posset, tamen infallibiles esse confisa filiæ fratris maritoque eius furibunda quadam pertinacia commendabat. Identidem ab iis sciscitabatur : « Iam experti estis rationem, quam vobis nuper commendavi ? »

Mortua tandem amita coniuges quodam illorum

gaudiorum clandestinorum affecti sunt, quæ vestitu lugubri occultari solent, conscientia nigrum aspectum gerente, animo autem furtim lætante.

In funere certiores facti sunt testamentum notario cuidam traditum esse ; ad quem confestim ex ecclesia egressi properaverunt.

Ibi apparuit amitam, ne decreto, in quo per totam vitam fideliter perseveravisset, mortua absisteret, milionem suam primogenito eorum legavisse parenti- busque huius ius fænoribus eius pecuniæ usque ad mortem utendi. Nisi autem trium annorum spatio heres natus esset, illam milionem pauperibus distribu- tum iri.

Obstupefacti coniuges animo afflicti sunt. Maritus morbo implicitus totam septimanam ab officina sua afuit. Postquam convaluit, inexorable consilium iniit : quicquid accidisset, curaturum se, ut pater fieret.

Insequentibus sex mensibus tanto furore se huic rei dedicavit, ut iis transactis iam nonnisi umbra sui esset. Rationes ab amita commendatas memoria repetens dili- genter, sed frustra secutus erat. Desperata necessitate sui augendi captus supra, quam tolerabat, vires conten- derat ; quæ res haud procul afuerat quin ei vitam adime- ret. Anæmia languescenti iam tuberculosis immine- re videbatur. Consulto medico perterritus ad quietam vitam redire, quin etiam tranquillio-rem quam antea vitam agere coactus est ac peculiari diætâ valetudinem confirmare.

Cum in ministerium nuntius allatus esset coniuges testamento delusos esse, rumoribus ibi hilaribus cir- cumvagantibus universi de famoso ictu milionario iis inflicto iocabantur. Alii lepida iis consilia dabant, alii benevolentiam arroganter simulantes se pro marito rem curandam suscepturos pollicebantur. Præcipue sodalis quidam proceræ staturæ, quem ganeonem formidabi- lem et famosissimum adulterum esse constabat, ambi- guis necnon obscenis eum dictis identidem vexabat iurans se minus dimidia hora effecturum, ut illi novem mensibus intermissis heres nasceretur.

Quodam die Léopold Bonnin ira incensus repente surrexit calamumque trans aures tenens his in eum conviciis invectus est : « Domine sceleste et vilissime, nisi dignitatem meam tueri vellem, tibi in faciem inspuerem ! »

Provocati sunt testes, quæ res omnia ministeria in tres dies vehementer commovit. In andronibus nonnisi hi circumvagabantur et documenta sua diffundentes suas de controversia sententias dicebant. Tandem quat- uor delegatis contigit, ut condiciones adumbrarent, quæ non modo ab ipsis, sed etiam ab ambobus viris inter se altercantibus accipi possent ; qui astante præ-

fecto graphæi dextris sollemniter porrectis alter alterum salutaverunt aliquot verba balbutientes, quibus semet excusarent.

Sequentibus mensibus dedita opera quam officiosissime et urbanissime inter se salutare consuerunt, quasi ostendere cupientes se, quamvis adversarios, tamen bene se gerere. Deinde quodam die, cum in angulo cuiusdam andronis alter alteri occurrissent, dominus Bonnin, dignitatem suam voce præferens hæc fecit verba : « Bone Domine, num te offendi ? » Respondit alter : « Minime, bone Domine ! »

Inde ab hoc temporis momento uterque haud alienum esse iudicabat, quotienscumque convenirent, pauca cum altero colloqui. Ita paullatim inter se familiares redditi sunt sublatisque malis præiudiciis non solum mutua consensione affecti, sed etiam amici inseparabiles facti.

Léopold autem se in coniugio suo infelicem esse sentiebat. Uxor eum verbis asperis oppugnabat adeoque obscuris, ut maritus, quidnam in iis lateret, non intellegens graviter angeretur. Fugiebat tempus : a morte amitæ iam totus annus elapsus erat, neque ulla ratione impediri posse videbatur, quin hereditas amitteretur.

Quondam matrona ad mensam considens : « Modicam », inquit, « tantummodo cenam sumere possumus. Aliter res se haberet, si divites essemus. »

Eadem marito in grapheum proficiscenti baculum porrigens ita dixit : « Si quinquaginta milia librarum pro fænore vitali haberemus, tibi non opus esset in grapheum ad laborandum ire, domine librariolæ ! »

Eadem diebus pluviis foras exitura secum murmurabat : « Si vehiculum haberemus, huius generis tempestatibus mihi non opus esset luto me inquinare. »

Denique nullus iam dies esse videbatur, quo uxor apud maritum non quereretur, nullum temporis momentum, quo non ei soli crimini tribueret, quod hereditatem temere et turpiter perdidisset.

Tandem maritus furibundus cum uxore præclarum quendam medicum de re consuluit. Qui muliere diutissime et diligentissime examinata negavit se quicquam invenisse, quo nisus aliquid sententiæ diceret. De difficultate admodum generali agi : suum cuique corpus esse suumque animum, seque tot coniuges animo dissonos vidisse, ut mirari non posset alios coniuges corpore dissonos steriles existere. Hoc examen medici consulentibus quadraginta francis constitit.

Decursu sequentis anni bellum atrocissimum inter duos coniuges indictum est, et gliscente in dies horribili mutuo odio matrona Bonnin cotidie idem dicere assuevit : « Væ mihi miseræ, ut quæ opes meas amitam, quod viro imbecillo nupsi ! » aut : « Utinam alius

me uxorem duxisset – tum fænus vitale quinquaginta milium librarum assecuta essem ! » aut : « Sunt, qui semper vitam difficilem reddant et omnia corrumpant. »

Prandia intolerabilia fuerunt, cenæ etiam prandiis intolerabiliores exstiterunt. Quodam vespere Léopold iam nesciens, quidnam faceret, ut horribile spectaculum domesticum vitaret, domum rediens eo secum attulit amicum suum Frédéric Morel – eundem, quocum antea quin duellum committeret, haud procul afuerat. Hic brevi amborum coniugum familiaris amicus factus iis consilia dare assuevit.

Nonnisi sex iam menses supererant ; quibus transactis hereditatem pauperibus distributum iri constabat. Paullatim Léopold aliter, atque antea, uxorem suam tractare cœpit : eadem, qua hæc illum, ille hanc spinosa malignitate alloqui consuevit. Obscuris et ænigmaticis ambagibus de uxoribus officialium loquebatur, quæ in rebus angustis maritos suos efficaciter adiuvisset.

Interdum historias de inopinato progressu publico collegarum suorum narrabat. « Pater Ravinot, qui hic quinque annos tantummodo extraordinarius fuit famulus, nuper assistens directoris nominatus est. » Ad hoc matrona Bonnin : « Tu », inquit, « nihil simile umquam obtinere potuisses. »

Tum Léopold humero fastidium leviter ostendens : « Ille efficacioribus », inquit « quam alii, rationibus progrediendi utitur. Uxor illius sapientissima ipsi directori placere scit ; quo fit, ut omnia, quæ desiderat, facile consequatur. In vita scite agas oportet, ne rebus externis decipiariis. »

Quidnam ille dicere vellet aut qua de re ageretur, uxor parum intellegebat. Suo uterque calendario utebatur ad signandum, quot diebus ab urgente hora fatali distinguerentur ; amboque se crescente in singulas septimanas furore capi sentiebant – ingenti furore, qui præcipitem iis amaritudinem iniciebat ac facile eos rebus desperatis ad scelus committendum impulisset.

Quodam autem die illucescente matrona Bonnin oculis splendentibus et toto corpore felicitatem præ se ferente ambas manus suas in humero mariti posuit ac velut adyta eius tenerrime inspiciens exigua voce gaudio tremante : « Credo », inquit, « me gravidam esse ». Maritus tantum in corde suo ictum sensit, ut eo percussus pæne concideret. Sed cum se recepisset, repente gremium suum uxori aperuit et impensissime eam amplecti cœpit neque in genibus suis collocatam umquam dimissurus esse videbatur. Iterum iterumque eam velut puellulam dilectissimam amplectens tanto affectu commotus est, ut tandem ipse in lacrimas effunderetur.

Duobus mensibus post nullum iam restabat dubium, quin proles nascitura esset. Maritus uxorem medico examinandam attulit documentumque ab eo recepit, quod notario testamentum penes se habenti traderet.

Hic, cum repperisset prolem, quamvis nondum nata esset, tamen manifesto nascituram, censere se dixit ita agi posse, ut dies præstituta usque ad finem graviditatis differretur.

Suo tempore natus est filius, qui Dieudonné sive Adeodatus nominatus est, in memoriam moris in ædibus regis diu conservati.

Iam divites erant Léopold Bonnin et uxor eius. Sed quodam die in vespere vergente, cum maritus domum revertisset, ut ibi cum uxore atque comitante etiam amico Frédéric Morel cenaret, uxor sola eum accepit et modeste dixit: « Amicum nostrum modo rogavi, ne iam umquam in domum nostram pedem

inferret, quia erga me parum honeste se gessit. » Maritus, cum uxorem paulisper oculis subridentibus et gratiam præ se ferentibus spectavisset, ei gremium suum aperuit. Quo cum uxor se proiecisset, ambo diutissime inter se amplectuntur, sicut duos coniuges tenerrimos et honestissimos, maxima concordia inter se vinctos, agere decet.

At benignæ oportet præbeantur aures matronæ Bonnin, quotienscumque verba facit de mulieribus, quæ aut amore commotæ adulterium pæne commiserunt aut præ summo animi affectu se continere non potuerunt, quin ad adulterium committendum impellerentur. ❧

---

1. Historia edita sub titulo *Un million* 2.11.1882 in *Gil Blas*, subscripta a *Maufrigneuse*.



« Domine scelestè et vilissime, nisi dignitatem meam tueri vellem, tibi in faciem inspuerem! »  
Imaginem pinxit Rauno Luttinen.

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XI)

## INITIVM SECESSIONIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Nicephorus I Logotheta (802-811) cum Basileus Ninopinato factus est, scandalum oritur Constanti-  
nopoly, quod vitari potuit matrimonio Irenæ cum  
Carolo Magno; dubitandum enim iam non est duos  
exstare imperatores, quorum neuter haberi vult infe-  
rior. Ut morem gerat iconoclastis, qui eum fecerunt  
imperatorem, Nicephorus I fautores reconciliationis  
cum Roma sæviter persequitur. Caroli Magni tamen  
legatos magna cum observantia reducere iubet, sed in  
epistula iuncta eum vocat « filium », non « fratrem ».

Ambo imperatores tunc de bello suscipiendo cogi-  
tant, quamquam alter alterum timet. Fama fert  
Carolus Magnum dictitavisse hoc: « Utinam inter nos  
non intersit maris barathrum! »

Usque ad annum 811 permanet discordia inter  
Orientem et Occidentem. Dum Caroli quidem Magni  
potentia manet integra et formidabilis, Imperium  
Orientale iterum in maximum discrimen compellitur.  
Cum exercitus califæ Bagdadensis Haroun al Raschid  
ad Bosphorum pervenit, Nicephorus pacem emere cogi-  
tur magnum tributum solvendo. Califa etiam Cyprum  
capit, cuius complura milia incolarum deportantur.  
Haroun anno 809 vita functo, rixæ inter eius succes-  
sore aliquam tranquillitatem afferunt ad limitem  
Abbassarum imperii, sed Burgari magis magisque  
audaces Constantinopolin minantur. Nicephorus eos  
aggreditur ac victor potitur gaza Khani Krum, qui  
pacem petit. Nicephorus autem non solum pacem  
negat, sed totam regionem diripit et tanta crudelitate  
etiam feminas puerosque trucidat, ut ipsi chronographi  
Byzantini horrescant. Constantinopolin rediens  
Nicephorus I inducitur in insidias non longe ab  
Hadrianopoli apud oppidum *Pliska*, ubi magna pars  
exercitus perit ipseque necatur (811); eius caput defer-  
tur ad Khanum, qui calvaria utitur ut poculo.

Interea Carolus Magnus amicitia consuetudinem  
iungit cum califa Haroun. Hoc fit anno 800 cum  
patriarcha Hierosolymitanus ad Carolum Magnum  
venit eius protectionem pro Locis Sacris petiturus.  
Carolus commercium amicitia etiam habet cum aliis  
principibus mahumetanis, sultano de *Fossatt* (Cairum)  
et Carthaginis emiro. Christianorum protectio in orbe  
islamico a Byzantinis, qui mahumetanis odio sunt, ad  
Francos transfertur. Apud barbaros Europæ populos  
axis imperii mundani videtur ad Occidentem migrare.

Venetia magis Byzantina sunt quam Italia. Pipinus  
I, rex Italiae et Langobardorum (781-810), Caroli Magni  
filii, hanc singularem urbem, ubi mercatura florere  
coepit, expugnare conatur; at præcipua urbis parte,  
*Rialto* vocata, potiri non valet (810). Postquam classis  
Byzantina Francorum classem fugavit, Venetia manent

in orbe Constantinopolitano.

Nicephorus I non est malus Imperii administrator.  
Ærarium variis modis complet. In regiones Græcas et  
Balcanicas, ubi gentes Slavicae se collocaverant, colo-  
nias Græce loquentium deducit præcipue ex Asia  
Minore. Clade a Slavis apud Patras accepta (805),  
Byzantina dominatio restituitur.

Staurakios (811) patri Nicephoro I in prælio necato  
succedit; tamen, cum ipse in eodem prælio grave vul-  
nus in collo acceperit et paralyticus factus sit, post  
duos tantum menses se imperio abdicat et thronum  
tradit leviro suo; sic is, qui iam curopalates erat, fit  
imperator Michael I Rhangabe (811-813).

Decem circiter annis post bellum inchoatum  
Carolus Magnus legatos Constantinopolin mittit pacis  
condiciones afferentes. Eas, quamquam contumeliosas,  
accipere cogitur Michael I propter propriam debilita-  
tem. Francorum legati una cum Constantinopolitanis  
foedus anno 812 pactum ad Carolum Magnum portant,  
qui id accipit in Aquisgrani basilica; ibi, summo  
Orientalium dedecore, Carolus salutatur « basileus ».

Scire oportet Orientales numquam antea hunc titu-  
lum Occidentalibus concessisse. Cum in lingua Græca  
non exstent duo vocabula, quibus reddantur tituli  
Romani « imperator » et « rex », Orientales formam  
Græcam ῥῆξ finxerunt et hunc solum titulum conces-  
serunt nonnullis barbarorum ducibus in Imperii parte  
Occidentali regnantibus; sic, exempli gratia, in Italia  
ineunte sexto sæculo titulus ῥῆξ ab Orientalibus datus  
est Theodorico.

Quomodo Imperii unitas servari potest, cum nunc  
duo sint imperatores? Foedus instaurat regimen frater-  
nitatis: oportet duo Imperia coniungantur amore  
Christi. Magna tamen differentia exstat inter cultum  
utriusque Imperii. Constantinopoli patriarcha et eccle-  
sia omnino pendent ab Imperatore, Romæ vero propter  
longam regiminis vacuitatem papa et ecclesia a nemine  
pendent; papa Romanus Caroli Magni Imperium creavit,  
in quo duo capita consociantur, sacerdotale et regale.  
Hæc differentia magni ponderis erit in futuro.

Opus vero Caroli Magni fragile est; et quo debilius  
fiet Imperium Carolingianum, eo minus ab Orienta-  
libus respicietur novum pactum.

Michael I Bulgaris resistere non valet. Cum post cla-  
dem anno 811 a Nicephoro I acceptam Khanus Krum  
bellum gerere perrexerit, Michael I, magno coacto exer-  
citu, eum aggreditur. Khanus Krum iterum victor evadit  
apud *Versinikia* (813); Michael I se Imperio abdicat.

Leo V Armenius (813-820) imprimis fuit  
Anatolicorum thematis strategus, postea patricius. Belli  
peritissimus, Nicephorum I comitatus est in expeditio-

ne contra Bulgaros. Post cladem Michaelis I, quem comitari noluit, throno facile potitur.

Khanum Krum ad pacem faciendam invitat eique insidias ponit, at Khanus evadit solum vulneratus et Thraciam populari pergit. Eodem paulo post vita functo, Leo V eius successorem anno 817 apud Mesembriam profligat.

Anno 814, id est eodem anno quo moritur Carolus Magnus, paulo post foedus inter Orientales et Occidentales pactum, Leo V iconoclasum Imperio Orientali iterum imponit.

Anno 820 in eum conspirat Michael Psellus; detectus, capite damnatur, sed a sociis servatur, qui Leonem V in ecclesia Sanctæ Sophiæ nocte Natalicia trucidant.

Michael II Amorius sive Psellus (820-829) est miles qui meritis suis factus est præfectus militum. Pergit iconoclastis favere, quamquam moderate. Filium Theophilum imperio statim consociat. Rebellionem aliquius militum præfecti domat, Bulgaris iuvantibus. Impedire non valet quin Arabes Creta potiantur (823) et in Siciliam irrumpere incipiant (829).

Theophilus (829-842) succedit patri vita naturaliter functo. Ille vir optime eruditus se gerit ut strenuus iconoclasta; difficultates habet cum uxore Theodora, quæ imagines colit. Est bonus Imperii administrator; res œconomica floret, magna opera publica suscipiuntur, sicut mœnium refectio et constructio magni nosocomii. Theophilus artium et musicæ amator magnam studiorum universitatem Constantinopoli creat favetque multiplicationi officinarum scribarum.

Res tamen bellicæ minus prosperæ sunt. Arabes Panormum expugnant (831) et tota Sicilia præter Syracusas potiuntur, non obstante Theophilo, qui nimis occupatus est bello contra Bagdadensem califatum. Imprimis victor, magnam cladem apud *Dasymon* accipit (838) et indutias facit cum califa. Animo demisso corporeque ægro moritur ineunte anno 842.

Michael III (842-867), a contemptoribus Bibulus (*Μέθυστος*) cognominatus, duos tantum annos natus est cum patri succedit; quamvis mater Theodora fiat Imperii regens, eius frater, patricius Bardas, regiminis habenas vere tenet.

Anno 843 imaginum cultus iterum admittitur; sic finitur altera ætas iconoclasmi. Contra, Theodora crudeliter persequitur Paulicianos, quorum doctrina proxima est a manicheismo. Iam superiore sæculo pars eorum e Syria et Armenia in Thraciam deportata est, id quod memorare oportet, cum iidem decimo sæculo fautores slavi sacerdotis Bogomil futuri sint.

Slavi intra Imperii fines habitantes faciunt rebellionem; anno autem 849 in Græcia profligantur.

Incitante avunculo Bardas, Michael III matrem Theodoram in monasterium includit et ab anno 856 solus regnat. Una cum Barda Bulgaros aggreditur ac magnam Thraciæ partem recuperat.

Tunc primum Russi Imperium aggrediuntur; peropportuna procella eorum classem in Ponto Euxino delet.

In Asia Minore Arabes, qui anno 838 apud *Dasymon* victores fuerunt, anno 860 apud *Lalakaon* magnam cladem accipiunt.

Anno 858 patriarcha Ignatius, imperatoris Michaelis I Rhangabe filius et severus christianus, cum inhonestis iussis Michaelis III et patricii Bardæ obtemperare noluit, deponitur. Eius loco nominatur Photius. Ignatius auxilium petit a papa Nicolao I.

Oportet hic plura dicere de Photio. Qui vir nobili genere natus eruditissimus factus est; antiquas litteras optime cognoscebat; studia classica Constantinopoli renovavit; habetur ut summum lumen renatarum litterarum undecimi sæculi. Philosophiam, mathematicam, logicam, dialecticam, theologiam docuit; fructum suorum studiorum divulgavit in maximo opere, *Bibliotheca (Myrobiblion)* inscripto, quod constat e 280 capitulis ubi exhibentur loci vel summaria operum auctorum antiquorum veterumque christianorum; nonnulli illorum auctorum solum hoc opere noti sunt. Photius etiam composuit *Lexicon*. Munere quoque magni momenti functus est in Imperii administratione; laicus adhuc erat cum patriarcha electus est (858), suadentibus Michael III et Cæsare Barda.

Undecimo sæculo inter mare Caspium et Imperium Byzantinum patet extentum imperium gentium Turcarum, quæ Græce *Kazaroi* vocantur et Latine *Cosri*. Duces et nobiles harum gentium, quamquam ad Iudaismum conversi, a Byzantinis petunt ut ad se aliquem mittant, qui christianismum doceat. Cyrillus, etiam Constantinus philosophus vocatus, una cum fratre Methodio ad Cosros mittitur haud magno effectu, ut videtur.

Res etiam mutantur ad septentrionalem Imperii Byzantini limitem. Medio undecimo sæculo creatum est novum regnum Slavicum, c.n. Magna Moravia (constat e regionibus hodie vocatis Bohemia, Slovacia, Silesia et Polonia meridionali); eius rex Rastislav (846-870) missionarios accipit et a Ludovico II, Franciæ orientalis rege, et a patriarcha Constantinopolitano; inde mox orientur inter Occidentales et Orientales rixæ de huius regni regimine ecclesiastico. Anno 863 patriarcha Photius in Magnam Moraviam mittit Cyrillum et Methodium, qui se efficaces ostendunt; noverunt enim dialectum Slavicam Macedoniæ, unde ipsi sunt oriundi. Cum tunc Slavorum variæ dialecti



inter se adhuc sint intellegibiles, linguam liturgicam fingere valent, quæ vocatur Vetus Slavica et scribitur litteris glagoliticis <sup>1</sup> ab eis etiam fictis.

Apud Bulgaros euangelizatio etiam bene procedit, ita ut eorum rex Boris I se ad christianismum convertat. Cum ibi quoque operam dederint missionarii Occidentales et Orientales, papa Nicolaus I Magnus (858-867), qui hanc novam ecclesiam habere vult in regimine suo, in *Epistula ad Bulgaros* præcipuas dissensiones inter ecclesiam Orientalem et Occidentalem explicat; Photius enim in opere theologico, c.t. *Mystagogia Sancti Spiritus*, doctrinam orthodoxam exposuerat et contra Occidentalem doctrinam de « Filioque » <sup>2</sup> argumentatus erat.

Papa Nicolaus I anno 863 Photium deponi iubet, qui par pari refert vinculum cum Roma rumpens et synodum anno 867 convocat, quo Nicolaus I excommunicatur.

Redeamus ad Michaellem III, quem novus gratiosus, Basilius nomine, incitat ad necandum avunculum Bardas (866). Eius uxor Eudokia Dekapolitissa nullam habet progeniem; eam tamen non audet repudiare, ut amatricem Eudokiam Ingerinam uxorem ducere possit. Quare hanc collocat Basilio nuptum, quem Imperio consociat. Paulo post, anno 867, Basilius Michaellem III interfici iubet et solus regnat.

Novum Imperium Occidentale, quod anno 800 condidit Carolus Magnus, non diu floruit; populi Germanici nondum erant maturi, qui Imperii unitatem servarent; Imperium nihil erat nisi hereditas inter filios defuncti imperatoris dividenda. Cum Carolus Magnus anno 814 vita functus est, unus tantum filius supervivebat, qui fortuito solus hereditatem accepit et

imperator Ludovicus I Pius factus est. Is autem complures filios habet, qui de hereditate iam contra patrem rebellant. Ludovico I mortuo supersunt tres filii, qui inter se bellant usque ad pacem fœdere Viroduni anno 843 pactam. Quo fœdere Francorum imperium divisum est in tres partes, Franciam occidentalem, futuram Francogalliam, Franciam orientalem, futuram Germaniam, et Franciam mediam, Lotharingiam vocatam e nomine filii maioris natu Lotharii, qui Imperatoris titulum servat.

Ludovicus II Germanicus (843-876), rex Franciæ orientalis, nostra interest, quia missionarios mittendos curat ad Slavos in regiones Balcanicas, unde initur certamen cum missionariis Orientalibus. ☞

1. Postea a Cyrilli discipulis creatum est e litteris et Græcis et glagoliticis alphabetum « cyrillicum » vocatum, quod glagolitico substituitur ubique regionum Slavicarum.

2. In rixa de « Filioque » agitur de ortu Sancti Spiritus. Orientales nituntur conclusionibus œcumenici concilii anno 381 Constantinopoli habiti, ubi legitur: « Credo in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit » (N.B. Apud christianos *procedere* significat *oriri*). In hac sententia non apparet Filius. In Hispania Visigothica, in tertio concilio Toletano (non œcumenico) anno 589 habito apparet hæc nova formula: « ex Patre Filioque procedit ». In concilio anno 809 Aquisgrani habito Carolus Magnus vult hanc formulam in doctrinam Romanam introduci, id quod fit contra voluntatem papæ Leonis III. Est exemplum cæsaropapismi Caroli Magni, qui cum suis theologis in rebus religiosis quoque decernere volebat, Orientales imperatores imitando. Nova formula ab Occidentalibus in perpetuum comprobata est undecimo sæculo.



## NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (V)

– quod legendum proponit Francisca Deraedt –

Nicolaus Klimius, postquam de Terra nostra præcipitatus est in mundum subterraneum, postquam in illo mundo alias terras invenit nobis incognitas mirumque in modum habitatas, postquam in civitate Potu factus est cursor aulicus iussuque Potuanorum regis profectus est novos inventurus populos, postquam civitates lustravit inter omnes maxime terribiles, Terram dico Philosophicam alteramque Rationalem, Nicolaus ergo noster paulatim edoctus iter pergit inter varios populos, quos observans omnia præiudicia sua depositurus est unum post alterum.

In terra Cabac incolæ nati sunt acephali ideoque, cerebro carentes, abstinere a maioribus muneribus omnesque pæne sunt aulici.

In provincia Cambara incolæ non vivunt amplius quatuor annos. Quos tamen ita virtuti dedunt, ut tota civitas videatur esse sapientium domicilium; Nicolaus tum cogitat homines frustra queri de brevitate vitæ, quæ multo longior videretur, si eam rebus nobilioribus dicarem.

Contra in provincia Spelek cives vivunt quattuor sæcula. Hic nihil honesti, cum præsentia videantur esse æterna, ac vitæ longitudo desperationem denique gignit.

In Terra Innocenti cum natura nullum sit vitium, multa desunt quæ mortales ornare solent, ut iurisprudentia, politica, gloriæ studium, æmulatio, inde palatia, artes et, ut brevi dicamus, omnia desiderantur quæ ad cultum civilem pertinent.

In provincia Kiliac incolæ mortis diem præsciunt. Nicolaus eos primum felices iudicat, mox tamen sententiam mutat, videns omnes ultimam horam magno cum horrore expectare, piosque eos tantum esse, quibus ultima instent temporis momenta. « Hinc sapienter in eo etiam providisse creatorem videbam, et præstare iudicabam creaturis, ut mortis hora eas lateat. »

In terra Askarac, incolæ habent septem capita et insignes sunt polyhistores. Iidem antea, ob multiplicatum ingenium, erant imperatores, consules, senatores; at cum tot diversas indoles haberent quot capita, in re publica gubernanda necessario fiebant magnæ turbæ. Itaque postea lege statutum est ut rei publicæ cura non eis, sed debilioribus civibus uno tantum capite præditis mandaretur. Sequitur ut idem sit, acephalum esse aut heptacephalum, cum utriusque a magnis muneribus æque arceantur. « Didici hinc omne nimium nocere et veram prudentiam in simplicitate cerebri et composita mente consistere. »

Transitis locis desertis Klimius pervenit ad principatum Bostanki. Ibi pusillanimas irridet arbores quæ « quoad externam corporis formam parum differunt a Potuanis, intus vero istud habent anomalon, quod cor in dextro femore sit positum, adeo ut vere dici possint corda in femoralibus gerere. » Eo magis ergo miratur hospitem in culina furibunde sævire in uxorem. Quæ interrogata condicionem hanc satis sapienter explicat: alii, ait, « qui ad minimum strepitum foris misere trepidare solent, regnant omnes in culinis », alii autem

« foris imperant, sed domi serviunt. »

In urbe Bracmat vivunt iuniperi, quæ hunc habent defectum, quod ob visum acutissimum cæcæ esse videntur: omnes enim incolæ sunt astronomiæ peritissimi, in rebus autem terrestribus omnino obtusi. Ergo re vera, concludit baccalaureus noster, nonnulli « plus viderent, si minus acute viderent. »

In terra Mütak vivunt salices; omnes incolæ sunt medicinæ doctores, quare in tribunali si poena constituitur non adhibentur flagella et cruces, sed medicinæ et purgationes. Gens maxime paradoxa, sed quæ etiam aliquid docet Klimium, scilicet omnes libros, etiam omnino insulsos, utilitatem quandam habere:

« Vix finito sermone ad publicum pharmacopolium ducor, ubi cum ingenti animi stupore ordine dispositas videbam pyxides, his titulis signatas: PULVIS AVARITILÆ. PILULÆ LIBIDINIS. TINCTURA SÆVITILÆ. LENITIVUM, SIVE INFUSIO TEMPERANS CONTRA AMBITIONEM. CORTEX CONTRA VOLUPTATEM. etc. Exprimerem non possum, quantas hæc præstigæ cerebri vertigines mihi pepere rint. Sed in ecstasin plane coniectus fui, cum viderem manuscriptorum quorundam fasciculos his titulis: SERMO MAG. PISAGI, CUIUS MATUTINA LECTIO SEX SEDES SIVE RESOLUTIONES ALVI PRÆSTAT. MEDITATIONES DOCT. IUKESI, QUÆ INSOMNIIS MEDENTUR! etc.

« Valde igitur paradoxam hanc gentem videbam, et, ut virtutem horum medicaminum curatius examinarem, librum primum aperui. Insulse adeo erat scriptus, ut ad primæ sectionis lectionem oscitarem, et, cum legere pergerem, murmura intestinorum, et mox tormenta sentirem. Hinc, cum optime mihi valenti purgatione alvi non esset opus, abiecto libro, in pedes me conicio. Videbam hinc, nihil in mundo plane esse inutile, et libros maxime insipidos non omni usu esse destitutos. Didici porro gentem hanc, licet mire paradoxam, non tamen plane stultam esse. Testatus est hospes meus, diris se insomniis diu vexatum, e sola Doct. Iukesi lectione convaluisse, tantamque huius libri esse virtutem, ut ipsam vigilantiam stertentem reddat.

« His et aliis auditis, miris cogitationum æstibus agitabar. At ne circuli pristinæ meæ philosophiæ penitus turbarentur, terram ocius relinquo, et sane, quod commodum mihi accidit, diutius his cogitationibus immorari non permiserunt nova aliarum gentium prodigia et occurrentia passim phænomena. Defunctus vero itinere circa hunc globum, cum philosophiam Mütacianam curiosius rimerer, artem medendi, quam profitetur hæc gens, non plane reiiciendam iudicavi. Sæpe enim expertus sum in Europa nostra dari libros, qui vomitionem, alvi solutionem aut somnum legentibus pariunt. »


Plura, bone lector, in proximo fasciculo... dum spatium præbeatur, nam alia multa et attractiva tibi in Melissa promittuntur legenda! ☞



# *In hoc fasciculo !*

*De itinere Tunetano [F. Deraedt] p. 1*  
*De artis cinematographicæ morte [S. Berard] p. 4*  
*Hereditas [G. de Maupassant - E. Palmén] p. 10*  
*De Romano imperio orientali (XI) [G. Licoppe] p. 13*  
*Nicolai Klimii iter subterraneum (V) [H. Holberg - F. Deraedt] p. 16*

*Imago tegumentis : Africa Romana – opus musivum Thuggæ inventum  
(in museo de Bardo).*



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
Banque ING : 310-0644994-30,  
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

